

DE REBVS PERVANIS, R^{di.}

P. DIEGHI DE TORRES, SO-
CIETATIS IESV PRESBYTE.

ri Commentarius, à Ioanne Hayo

Dalgattiensi Scoto eiusdem

Societatis ex Italo in La-
tinum conuersus.



ANTVERPIAE,

Ex Officina Typographica Martini

Nutij, ad interfigne duarum Ciconiarū,

M. DC. IIII.

A D M O D V M R^{dis} IN

CHRISTO PATRIBVS ET DO-
minis, Dom. Iacobo Cadet, Carthusianorum in
Prouincia Francia visitatori, & domus B. Ma-
rie de Bourgfontaine Priori, Dom. Nicolao de
Giroys, Dom. Adamo Oger, Dom. Ioanni Bene-
dicto, Dom. Richardo Beaucousin, & Dom. Ioã-
ni Bucherõ, Prioribus Ordinis Carthusianorũ,
Ioannes Hayus in Christo Domino salutem:



Rdinis vestri Religiosi, Societa-
tis nostræ parentem, immo ip-
sam nascentem Societatẽ, sum-
ma complexi sunt beneuolen-
tia: vos verò, eandem de sociis
bene merendi viã ingressi, eos,
quibus potuistis officiis, vel perturbatissimis tẽ-
poribus prosequi non destitistis; cuius rei ego sum
testis, tot siquidem taliaq; in me contulistis bene-
ficia, vt gratia à me tanta vobis referri non pos-
sit, quanta debetur. Cùm ergo ad remunerãdum,
præter voluntatẽ, mihi suppetat nihil, & homi-
nis sit non ingrati, acceptorum retinere beneficio-
rum memoriam, non alienum à mea erga vos ob-
seruantia sum arbitratus, ad vos mittere de rebus
Peruanis commentarium, superiore anno à Diego
de Torres, Peruanæ prouinciæ in urbẽ missõ Pro-

DE REBUS PERUANIS. 5



Regnum Peruanum, quod mari Cartagena Chilā vsque milibus passuum 4500 seu leucis 1500 patet, & terra totidem à sancta Maria ad Paraguai, Coronæque Hispaniensi hoc tempore patet, in varias est prouincias distributū. Incolæ, propter maximam qua fruuntur, cœli temperationem, diutius quàm Europæi in vita, minusq; morbis obnoxij persistunt. In littore maris Australis nunquam pluit. Quinque aut sex anni mensibus decidit nocturno tempore densus ros, qui ad multum diem durat, quo terra illa, simul & fluminum torrentiumque, qui ex montibus fluunt, irrigatione, adeò foecunda redditur, vt pro mensura vna seminis, cuius magnus est illis in locis vsus, Maiz nomine, quam excipit, ducentas & nonnunquam trecentas reddat. In agro ciuitatis Aricas, vbi non suppetit siue roris siue irrigationis aquarum copia, admirabili quadam ratione Deus hominum commodis prospexit, nam ad maris litus ingens halecum vis, quo tempore fit semētis, confluit, quæ magno sunt agricolis vsui: singulis enim capitibus à corporibus diuulsis, imponuntur singula grana Maiz, ac sic in terra defossa, vberimos messis tempore reddunt fru-